




# PALAEASTRA LATINA



## SUMMARIUM

DE GENITIVO *Alterius* RITE ACUENDO, (Tori-bios).

AD ALIQUEM INVISENDUM CONLOQUIUM.

EPISTULARUM COMMERCIMUM

MONIALIS PATRIA EXTORRIS, (Caro)

NOVA ET VETERA.-DE VESTIMENTIS, (Jové).

NARRAGONIA ET CROCIDILOPOLIS, (Viator).

BIMILLENIARUS HORATIANUS, (J. M. Jiménez).

CURSUS GYMNASTICUS, (Martija).

BIBLIOGRAPHIA, (Mir. Jiménez).

IN NAVEM REIPUBLICAE, (versio Llobera)

et LA TEMPESTAD (Mesa) in operculis.

**Ordinarii atque Superiorum permissu**

## In Navem Reipublicae

Horatii Ode 14 l. I

Hispane redditā

*O navis, referent in mare te novi  
fluctus. O quid agis? Fortiter occupa  
portum. Nonne vides ut  
nudum remigio latus  
et malus celeri saucius Africo  
antemnaeque gemant ac sine funibus  
vix durare carinae  
possint imperiosius  
aequor? Non tibi sunt integra linea  
non dī, quos iterum pressa voces malo.*

*Quamvis pontica pinus  
silvae filia nobilis  
jactes et genus et nomen inutile,  
nil pictis timidus navita pupibus  
fidit. Tu, nisi ventis  
debes ludibrium, cave.  
Nuper sollicitum quae mihi taedium  
nunc desiderium curaque non levis  
interfusa nitentes  
viles aquora Cycladas.*

¡Oh Nave! ¿nuevamente  
En alta mar te lanzarán las olas?  
¿Qué haces? fuertemente  
Asida al puerto queda.  
¿No ves cuál despojado  
Tienes de remos uno y otro lado;  
Y el mástil gime herido  
Del Ábreo ligero, heridas gimen  
Las antenas, ni ha sido  
Sin jarcias leño alguno  
Apenas poderoso  
De constrastar el mar impetuoso?  
No tienes vela sana,  
No dioses a quien llames en tu ayuda  
Cuando la ola insana  
De nuevo intente hundirte,  
Por más que noble pino  
En las selvas nacido del Euxino  
Seas, y te gloríes  
De tu linaje y nombre: en vano, en vano:  
Ni ya en la popa fíes  
Pintada, cual no fía  
El tímido piloto:  
Si no juguete quieres ser del Noto,  
Guárdate tú que fuiste  
Un día tedio para mí y zozobra,  
Y eres ahora triste  
Deseo y cuita grave;  
Huye de las corrientes  
Que fluyen por las Cícladas lucentes.

JOSEPHUS LLOBERA, S. J.



# PALAESTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

---

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.

---

## De genitivo *Alterius* rite acuendo

Cum tandem etiam apud nostrates, qui apud exterros jamdiu viget, usus accipientur acuendae litterae *i* in genitivo *alterius*, forsan non deerunt qui, falsis veterum grammaticorum documentis imbuti, hujus moris novitate immerito permoveantur. Si ergo auctor non displicet, ea quae rem continent quam dilucide et brevissime pertrac-temus.

Imprimis memoriae est revocanda regula: In vocabulis quae amplius duabus syllabis constant, acuitur paenultima si longa; sin autem brevis eadem est, accentus in antepaenultimam recidit. Exempla: *amāmus*, *amabím̄ni*. Nulla exceptione praefata regula infirma-  
tur cum de Latinis vocabulis agitur,<sup>(1)</sup> ita ut ejus vi unius dictionis accentus saepe transferatur, prout paenultimae syllabae quantitas exigat. Ita acuimus *éadem*, *útraque*, *útravis* siquidem casus sint di-  
recti; at contra *eádem*, *utrávis* si ablativus femininus est. Item *vé-  
nimus* et *venímus* distinguimus, prout tempus aut praeteritum est

(1) Que vero ex Graeco vocabula usurpantur, siquidem latine inflectantur, latino more acountur, ut «Penélöpe», etsi graece sit vox paroxítona Πηγελόπη. Excipiuntur vero nonnulla in *ea* et *ia* exeuntia, quae, licet contracta non sint ex *εια*, ut supra dicetur, ex usu tamen recepto in brevi paenultima acuere licet, v. c. *Eucharistía*, *philosophía*, *homilia*, *agonía*, *liturgia*, *ídēa*, cum latine potius acuendum foret *Eucharístia*, *philosóphia*, *homilia*, *agónia*, *liturgia*, *ídea*, sicut etiam acuimus *Ecclésia*, *tragoédia*, etc. Sed cave ne, Graecorum quorundam vocabulorum accentu deceptus, producas etiam paenultimum *i* vocabularum Latino suffixo gau-  
dentium, ut *gratiā*, *abbatia*, *insania*, *acrimonia*, *decania*, (a *decánus* non a *δέκα*), *Umbría*, cet. Hinc patet quam sit necesse latinae prosodiae studere, ut ad minus paenultimae dictionum syllabae quantitas dignoscatur.

aut praesens. Valet etiam regula in compositis, in quibus notanda quae ex *disyllabis* paenultimam brevem habentibus veniunt, nam tum accentus paenultimae vocabuli simplicis in antepaenultimam compositorum migrat, ut v. c. *circum-dāmus*, *circum-dēdi*, *át-tāmen*, *dē-dēcet*, *decém-vīri*, *triúm-vīri*, *ás-sēqui*, *cón-sēqui*, et sexcenta id genus.

Verum alia ex Latinae prosodiae regulis sic sonat: Contracta syllaba longa est; inde sequitur ut, si haec contracta syllaba sit paenultima, accentu gaudeat vi superioris regulae. Exempla in promptu adsunt composita ex verbis *caedo*, *causo*, *claudio* ut sunt *occido*, *concido*,<sup>(1)</sup> *accūso*, *inelūdo*, etc. et in contractis *nīl*, *dī*, *mī* pro *nīhil*, *dīi*, *mīhi*. Frequentiora hujusmodi contracta habentur vocabula quae Graeco fonte cadunt ut v. c. *litanīa* (a λιτανεία), *hyperdulīa* (a ὑπερδουλεία), *latrīa* (a λατρία), *Caesarēa* (a Καισάρεια)<sup>(2)</sup>, *Laodicēa* vel *Laodicīa* (a Λαοδίκεια), *Basilīus* (a Βασιλεὺς), *Theodūlus* (a Θεόδουλος) et alia plurima<sup>(3)</sup>. Quae cum peritorum nemo neget, ad alia properremus.

Grammatici omnes, praesertim qui philologiae studuerunt, i genitivi exeuntis in *iūs* longum esse docent. Et merito sane; nam, si etymologiam attendas, hoc i contractum invenies; genitivus enim casus in *iūs* per redundantiam compositus fuit ex primaevō casu quem *locativum* dicunt, in iexeunte (exemplum manet *domi* (en casa), et ex simplici genitivo *iūs*, qui erat primigenus genitivus demonstrativi *is*, et subjunctus fuit locativo casui, unde passim in inscriptiōnibus reperitur *eiius*, *cuius*, *huius* (ei+ius, cui+ius, hui+ius)<sup>(4)</sup>.

(1) Verum in compositis ex *cado*, antepaenultima acuitur, v. c. *occido*, *cóncido*, nam talium i breve est, sicut a simplicis.—(2) Haec forma nomen est civitatum. Adsunt aliae formae ex adjektivo Latino *caesarēus*, *a*, *um*, quae ut propria hominis nomina usurpantur, quorum accentus in antepaenultimam recidit, quia paenultima brevis est.—(3) Inde fit (quod etiam patet in ultimis exemplis supra allatis), ut plures voces quae graece in antepaenultima *proparaxitonae*, latine in paenultima accidunt, sique etiam hispane acui debent, nam classici nostri, si paucissima excipias, ex Graeco derivata vocabula ad Latinorum normam acuerunt. Cave indiscriminatim hispana vocabula more Graeco acuas, ut recentiores nonnulli contendunt, probatum longo tempore usum temere deturbantes. Dic ergo *epigrama*, *telegrama*, *metamorfosis*, non *epígrama*, *telégrama*, *metamórfosis*, etc. E contra dic *kilómetro*, *telégrafo*, *hipódromo*, non *kilometro*, *telegrafo*, *hipodromo*, etc. Hinc etiam tibi cavendum ne voces novae quae in plerisque scientiis aut artibus ex Graeco cuduntur, ignoranter acuas, ut plures qui v. c. dicunt *aerolito*, *dinamo*, *anodo*, *catodo*, morem galicum imitantes, cum hispane acuendum sit *aerólito*, *dínamo*, *ánodo*, *cátodo*. De hac re optimum erit consulere peritismos auctores ut Robles Dégano (*Ortología clásica de la lengua castellana*, Madrid, 1905) et E. Hernández et F. Restrepo (*Llave del Griego*, Friburgo, 1912).—(4) Cfp. Salomon Rainach, *Manuel de Philologie classique*, t. p. 146 (Paris, 1883); V. Henry, *Précis de Grammaire comparée du Grec et du Latin*, p. 254, n. 9 (Paris, 1894); L. Laurand, *Manuel des études Grec-*

Poëtae quidem, metrica adstricti necessitate, contractum hoc i saepius corripiunt, indeque in antepaenultimam accentum migrare cogunt, ita ut nonnunquam in carminibus sit acendum *únus*, *ípsius*, *íllius*, cet.; at eae poëseos licentiae minime in solutam orationem recipiuntur, sicut nec accitur in prosa *túlerunt*<sup>(1)</sup>, *fúlgere*<sup>(2)</sup>, etiam si per sistolen paenultimum e Vergilius corripiat. Etiam e contra *tenébra*, *latébra*, *intégro*, etc. nonnisi in versibus dicitur, ubi poëtae per diastolen paenultimum e produixerint<sup>(3)</sup>.

Jam vero sistole quae in ceteris genitivis casibus in *ius* aliquando occurrit, semper ab heroicis poëtis facienda est in *alterius*, ne brevis una duas inter longas claudatur (*ältériüs*), nam quantitatem hanc omnino dactylica carmina non patiuntur, ut bene norunt qui eisdem navarunt operam<sup>(4)</sup>. Hinc est quod in Vergilio, Ovidio, ceteris qui dactylico metro scribunt, semper *ältériüs* invenitur. Item in Horatio, qui praedicto genitivo solummodo in hujusmodi carminibus utitur. At optimi horum poëtarum interpretes anomalam prorsus talem prosodiā esse indicare non neglegunt<sup>(5)</sup>.

Et revera, propria *ältériüs* prosodia in dactylicis versibus reperiri non potest; at bene invenitur in aliis, ex quibus aliquot exempla afferre juvat:

*ältéri-üs* súa út cōmpárēt cōmmōda? áh!

(Creticus tetrameter: Terent., Andr. a IV, sc. 1, v. 4).

*Sescū-plō* vél únă vincēt *ältériüs* singūlūm.

(Trochaicus octonarius: TERENT. MAUR. De metris, v. 1352)<sup>(6)</sup>

Mōx cum ál-téri-üs ób-lígū-riás bōnā.

(Iambus trimeter sive senarius: Enn., Sat., 17).

Non ergo ratione et philologia tantum, verum etiam poëtarum usu constat longum esse i genitivi *alterius*; nec jam audiendi de resunt veteres grammatici, sed recentiores qui etiam in Hispania aliquot abhinc annis uno animo ita docent, ut v. c. P. Iosephus Llo-

ques et Latines, p. 651, n. 172, y (Paris, 1921) Ernout-Mendizábal, *Morfología histórica latina*, n. 100, 115 y 126, (Bilbao, 1924).

(1) Verg., Ecl. IV, 61.—(2) Verg., Aen. VI, 827.—(3) Errant igitur qui miseranda incuria vel ignorantia numerorum et prosae leges intermiscent. —(4) Analogi causus in hispanica metrica inveniuntur, nam adsunt vocabula ut v. c. *Océano*, *Nápoles*, quae per diastolen in paenultima a poëtis acuuntur ut in fine versuum aliis similiter cadentibus consonare possint. (Cfr. Robles Dégano, *Ortología clásica...* n. 134 et 135).—(5) Videsis v. c. M., Albert, *Horace, Art Poétique*, n. ad v. 410 (Paris, 1886); et J. B. Lechatellier, *Virgile*, p. XXV, n. 46 et 47, (Paris, 1907).—(6) In hujusce auctoris paémate *De regulis metricis*, adhuc etiam bis *alterius*, reperitur, nempe in versu 1611 et in 2184. (Cfr. *Thesaurum linguae latinae*, qui Lipsiae apud Teubnerum editur).

bera, S. I., qui nostratum primus hanc probavit veritatem<sup>(1)</sup>, Philip-  
pus Robles Degano<sup>(2)</sup>, Verolenses Professores, S. I.<sup>(3)</sup>, P. Emmanuel  
Jové C. M. F.<sup>(4)</sup>

Nostrae igitur dissertatiunculae conclusio duplificem rem evin-  
cit:

a) In soluta oratione *alterius* semper est acuendum sicut et  
*ipsius*, *illius*, *unius*, cet.

b) In carmine autem *alterius* vel *altérius* acuetur, non secus  
ac *ipsius* vel *ípsius*, *illius* vel *íllius*, *unius* vel *únius*, etc.<sup>(5)</sup>, prout  
prosodica metri lex in unoquoque casu postulaverit.

ISAAC M.<sup>o</sup> TORIBIOS RAMOS, O. S. B.  
Grammatices Professor in Monasterio Sancti Dominici Silensis

### *Ad aliquem invisendum conloquium*

A.—*Sonat campanula (aut tinnibulum).*  
*An sit Dominus B?*

SERVUS.—*Vultne hera Dominum B exci-  
pere?*

A.—*Fac ut aulam ingrediatur.*

B.—*Domina, honori duco cum te salvare  
jubeo.*

A.—*Faustus dies, eques. Sede, amabo. Fac  
sedeas. Quomodo habes.*

B.—*Optime, domina, et habeo gratiam. Tu  
vero?*

A.—*Gravedine aliquatenus laboravi, hodie  
autem optime valeo.*

B.—*Blanditur mihi recuperata valetudo  
tua.*

A.—*Bene es amabilis quando de me cogi-  
tasti; jamdiu est cum te non video.*

B.—*Ad te saepe accessi, sed tui videndi vo-  
luptate carui. Cartula mea tibi tradita  
fuerit.*

A.—*Ita profecto, et doleo maxime domi  
non fuisse ut te reciperem.*

B.—*Quomodo pergit tuus ille pater.*

A.—*Minus valet aliquot abhinc dies; inde  
est quod nequeat camera exire.*

B.—*Doleo admodum; spero tamen meliora.*

A.—*Parum id est, sed ejus consulendum  
est aetati.*

B.—*Verum frater tuus valet usque bene?*

A.—*Oh, atletice valet. De valetudine curan-  
da mihi adsidue est monendus.*

B.—*Atqui quanti sit valetudo non noveris.  
donec eam amiseris. Et soror quomodo  
habet?*

A.—*Nunquam sana est totum biduum, cum  
nullam non adhibeat cautionem.*

B.—*Nemo citius valetudinem amittit, quam  
qui ad eam servandam nimiam curam  
adhibent.*

(1) Grammatica classicae latinitatis, n. 88 et 518, (Barcelona, 1920). — (2) Grammatica Latina, n. 22, nota 1.<sup>a</sup> et n. 282, reg. 2.<sup>a</sup>, 2.<sup>a</sup>, (Avila, 1925). Pluribus hoc opus dotibus commendatur uti ejusdem auctoris cetera de Philosophica et Grammatica re scripta; hic enim auctor post multos labores plura male prius tradita emendavit, praecipue in distinguendis et nominandis verbi modis temporibusque, in discernendis vocabulis relativis, in tota Syntaxeos materie quam lucidissime ordinanda. Optima ejus *Gramática Latina* nobis adstat etiam quia adamussin operi suo *Gramática elemental de la Lengua Castellana*, (Madrid, 1924), respondet. — (3) Institutionum Grammaticarum libri quinque, n. 1177, except. 5.<sup>a</sup>, (Barcelona, 1927). — (4) Alterius non alterius; Palaestra Latina, num. 13. — (5) Sed genitivus *alius* etiam in carmine longum semper *i* servat, ne cum nominativo confundatur.

## Epistularum Commercium

*Antonius Viator, S. V. D. Emmanuel Jové, C. M. F. salutem*

Gaudeo ac laetor quod hoc ipso die sollemni Stae. Theresiae, luminis Hispaniae clarissimi tibi, Pat. Emm. Jové, gratias agere possim exquisitissimas pro sex exemplaribus libelli aurei, qui inscribitur jure ac merito «Palaestra Latina», mihi benigne missis et miro cum desiderio a me heri exceptis. Imprimis autem animo gratissimo tibi adhaereo, quod opusculum meum scaenicum, cui nomen «Narragonia et Crocodilopolis» vel «Amaranta surrepta», minime sprevisti aut repudiasti, sed inserere coepisti libello Palaestrae Latinae a te ingeniosissime edito. Neque vero abstinere potui, quin opus tuum exterius et interius admirandum et perlegendum traderem discipulis meis Latinis, qui libellum cum cupiditate atque aviditate certatim arripiebant et circumvolabant sicut apes flores rosarum vel muscae placentam mellitam. Utinam unicuique in sacculo tot nummuli essent ut suo quisque sumptu opus illud in Hispania typis impressum emendo sibi pararet. Ast octo pessetae illis pauperculis aedium nostrarum alumnis pluris esse videntur quam ut multi hoc pretium expendere possint, id quod ipsi mecum perdonent ac lamentantur, qui litterarum et praecipue scientiae Latinae studiosissimi dispereunt fere atque languescent optationibus et votis ardentissimis correpti, ut in manibus suis quam primum inveniatur altera series Palaestrae Latinae edita ac promulgata. Quos discipulos domus missionum orationibus et curis paternis enixe commendat

Pater Antonius Er. Viator, S. V. D.

*Emm. Jové, C. M. F. Rdo. P. Ant. Er. Viatori, S. V. D. salutem plurimam*

Non debueram sane exspectare litteras tuas ut tibi gratum animum ostenderem ob donum tuum «Narragoniam». Sed, pudore subfusus loquor, demum ita factum est ut qui munere magno me cumulavisset, idem a me crederet beneficium accepisse. Non ego bonus tecum, tu bonus exstitisti mecum, quod lectors nostros scaenica actione recreari in Palaestra nostra voluisti. De missis mittendisque exemplaribus, fecimus quod debuimus.

Apes illas, discipulos dico tuos, ad flores Latinitatis libandos qui in Palaestra pullulant-ais-marcas non facile expendere posse. Res quidem dolenda, sed nobis non est integrum ad exteriores minore pretio mittere ex vecturae caritate. Si vobis placuit superioris mensis fasciculus, credo fore ut vel plus placeat fasciculus mensis novembris, in quem vestrum Andream Haberl, primum sacerdotalem jubilaeum celebrantem, induximus.

In postrema rerum publicarum turba Dei Deiparaeque beneficio a communista um conatibus incolumes evassimus.

Orate pro nobis et valete.

## MONIALIS PATRIA EXTORRIS <sup>(1)</sup>

(ELEGIA)

*Illa, mari magno, celsis quae pupibus haeret  
spectat et inmotis aequora luminibus,  
cui tenero sedet et gravitas et pallor in ore,  
quo tendit? Cursus nescit et ipsa suos.*  
*Seu petit Hesperia, attinget seu Gallica tandem  
littora, ad incertos it peregrina focos.*  
*En, quibus ipsa vagos perstringit flatibus undas,  
gaudet et albentes aura movere sinus.*  
*Respicit; ad patriam neququam torquet ocellos;  
a patria tantum se procul ire videt.*  
*Forsitan et lapsos longe reminiscitur annos;*  
*ad trepidum sacram cor premit usque crucem.*  
*Adspice, ut hinc illinc compellent: unde requirant,  
infelix veniat, littora quaeve petat;  
qui sibi sint patres, quae dulcia liquerit arva!*  
*Illa quibus tandem nos sine lacrimulis:  
hei mibi! quam placidas invitae liquimus aedes!*  
*Ergo in perpetuum, terra paterna vale!*  
*Ara fuit mibi sola domus; mibi solus amicus;  
et pater et sponsus, spes mibi sola, Deus.*  
*Barbarus insontes ejicit, flectere nulla  
quem pietas, ratio flectere nulla potest.*  
*Quaeritis hic demum quae spes subrepat eunti?*  
*Quove, procellosum per mare raptta, ferar?*  
*Qui maneat scopulos, fluitanti quaerite ab unda;*  
*Quaerite ab excussa, quo ferat aura, rosa.*  
*Id, saltem ad dulces, quondam speravimus, aras  
posse latebrose vivere, posse mori.*  
*Tunc vero ejectae, tunc mendicare coactae;*  
*hoc unum novis crimen: amare Deum.*  
*Ipsa etiam ad littus (migrantum milia vidi)  
advena desertam carpit birundo viam.*

(1) «La monja desterrada» Hispanum hoc carmen exaravit illustris ac religiosissimus Dominus Josephus Johachim Ortiz, transtulit in latina disticha Michael Caro: — «Ambo florentes aetatis, Arcades ambo — Et cantare pares, et respondere parati»

*Illa tamen releget nidos. Non ulla videndae  
spes mihi, quam liqui, tecta beata, domus.  
Ergo volate, precor, vastum percurrite pontum;  
sic vigil illius vos tegat ala patris!  
Ite, salutatum primi cum lumine solis,  
Atria, vietrici nunc violata manu  
Aedes tum vacuas, vitream lustrate fenestram,  
Et querulae e tectis fundite carmen, aves!  
Nos, Granata, tuos montes superavimus, alta  
Qucis nitet integra fons adoperta nive.  
Nos et adoratos, viridesque cucurrimus agros  
Spirat ubi assiduum ver, ubi palma sonat  
Littoreque e curvo, fluctus quo murmure tendunt,  
Pectora torrentem vidimus oceanum.  
O tu longe alias inter pulcerrima tellus,  
una et opum toto, quidquid in orbe, gerens!  
Nam tibi, dum radiis ornata auroque refulges,  
caerula gemmatos alluit unda pedes.  
Quid tamen haec prosunt? Natos discedere longe  
inmeritos, mater barbara nempe, jubes!  
Exul et has olim periturus transiit undas,  
ille, <sup>(1)</sup> Americani gloria summa soli.  
Et procul ille jacet ... Quid demens plura revolvam?  
Hei misero indigne pastor adempte gregi!  
Cogimur externas sic nos errare per oras,  
et mixtum lacrimis cogimur esse cibum.  
O Pater Omnipotens! Quoniam tua sancta voluntas  
virginei coetus corda probare tui;  
nec licet antiquis placide obdormire sepulcris,  
sed profugas cineres terra aliena teget;  
accipe pro solitis et ture et cantibus, unda  
quos fletus teneras quas rapit aura preces;  
a te dum gremio, miseros oblita labores  
excipiar: fessam namque vocare, tuum est.*

*Michaël A. Caro*

(1) Nimirum Illius. ac Reverendissimus Emmanuel J. Mosquera qui exul Romam usque pertransiens purpuram pilo lumque accepturus, Massiliae finem est adeptus.

## NOVA ET VETERA

### De vestimentis

Haec scribebam cum campus ex fenestra cellae meae longe lateque alta nive coopertus circumspiciebatur, et vel intus rigens frigus caracalla artus meos invadere minus patiebatur. Quid igitur mirum si beneficium huic vesti quodam modo rependere menti succurreret? Itaque constitui lectoribus Palaestrae Latinae caracallae seu caracallis nomen explicare et ei pares proponere vestes.



Presbiter cum caracalla      Presbiter cum tunica et alicula      Presbiter cum pallio      Presbiter cum lacerna et clamide

Jam primum omnium Caracallae agnomen inditum est Antonino Pio qui ab anno p. Ch. 211 usque ad 217 Romanorum exstitit imperator. Cui rei ansam dederat ipse cum vestem hujusmodi origine Gallicam non solum indutus incederet sed etiam profuse Romanis elargitus esset, plebem-

que cum ea ad se salutandum accedere coëgisset. Hodie simile quidquam vestimentum frigoris vitandi causa hieme gestare solemus.

Duplex erat caracallae genus, alterum quo Galli praesertim utebantur ad femora usque productum. (1) alterum quo Marco Aurelio Antonino Imperatore coeperunt uti Romani ad talos usque demissum. (2) «Vestis erat – ait Forcellinius – in lacernae modum ex concisis pannis consuta, non sinuosa sed corpori adhaerens et manicata». Quid est autem lacerna? (3) Forma lacernae fuit clamidi similis, scil. aperta et laxa, fibula in humero vel ad pectus connexa, longior tamen quam clamis et fluxior ut quae frigori arcendo totique amiciendo corpori instituta est. Materia fuit crassior lana, color vero vel nativus lanae vel pullus, sed procedente luxu et frequente ejus usu in ipsa Urbe ex pretiosiore materia et colore a ditioribus gestari coepta est.

Nunc veniamus ad paenulam. (4) Ejus forma fuit undique clausa adstrictior et brevior quam toga, bracchia quoque ipsa protegens. Meteria fuit scortea seu ex corio. Toga (5) fuit vestis rotun-

da et usque ad pedes demissa, clausa et sine manicis quae uno conjectu totum corpus et utrumque bracchium operiebat. Ea in superiore parte, qua ad cervices sedebat, ita laxe apariebatur ut dextrum bracchium commode exseri, imo et totus humerus ostendi posset. *Tunica* (6) est vestis interior, corpori adhaerens, cui toga superinduitur, viris et mulieribus usurpata. olim sine manicis, deinde manicata seu manuleata et cinctu constricta.

*Pallium* (7) est vestis longa fusa et ampla, quae tunicae etiam superinduitur. Erat aperta et fere ita gestabatur ut sederet humeris et pars ejus dextera ab imo in sinistrum bracchium imponeretur aut illi subjiceretur et nihilominus totum corpus amiciret, solaque dextera manus ad pectus exstaret bracchio tamen involuto, interdum ipsa quoque manus operata.

*Paludamentum* (8) dicitur proprie de veste militari Imperatorum et ductorum exercitus. Ideo ad bellum cum exibat imperator paludatus dicebatur proficisci. *Clamis* (9) fuit etiam vestis militaris aperta, quae thoraci superindubatur, posteriora vero corporis tantummodo ambiens; similis paludamento sed brevior et minus fusa ex humeris pendens et *fibula* (10) ad cervicem vel in dextro humero connexa. *Sagum* (11) vox ut videtur Celtica est vestimentum militare, apertum et fibula connexum, villosum, longius tunica ex crassiore lana confectum, quod reliquis vestibus superinduitur.

*Palla* (12) est vestis exterior talaris ampla et fluens propria honestarum mulierum. *Alicula* (13) est genus vestis brevioris, ita dictae quod alas, hoc est bracchia injecta continebat.

Tandem *epitogium* (14) est amictus qui supra vestes et togam gestatur.

(1) (2) Gabardina, sobretodo. — (3) Gabán. — (4) Impermeable. — (5) Toga. — (6) Bata. — (7) Manteo. — (8) Manto. — (9) Clámide. — (10) Botón. — (11) Capote. — (12) Barquiña. — (13) Esclavina. — (14) Guardapolvos.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

## A E N I G M A

Virtutes magnas de viribus adfero parvis:  
Pando domus clausas, iterum sed cludo patentes  
Servo domum domino, sed rursus servor ab ipso  
Sol. Sum clavis.

## Narragonia et Crocodilopolis (*sequitur*)

### ACTUS SECUNDUS

(*Prospicitur Crocodilopolis*)

II. 1. BUFO, *solus.*

Bombax! Quam velociter praeterfluit tempus! Jam advenimus ante Crocodilopolim septuaginta centena milia passuum a Salamandria distantem, id quod putarem minime, nisi ipse meis oculis conspicerem urbem; profecto hic est Crocodilopolis, quam digito indice demonstro (*Lucernam accedit, adit ad parietem scaenae dextrum*) Illic litteris quadratis scriptum video ex columna viae indice: «Territorium Centauriae, urbs Crocodilopolis». (*Prospectat urbis regionem*) Sed illinc agricolam quemdam video advenientem; quaeram ex eo, quae res agantur in urbe.

II. 2. BUFO, MEGALOSAURUS.

BUFO.—Salve, amice! Unde venisti?

MEGALOSAURUS.—Agricola sum Crocodilopolitanus.

BUFO.—Ab Abdalcadero igitur, califae vestri filio male famoso virginem, cui est nomen Amarantae, surreptam et uxorem in matrimonium ductam esse te non ignorare spero.

MEGALOSARUS.—O, jam dudum eam duxit in urbem. Mulieres nostrae lintealavantes, matronae inter coffeas sermocinantes, anus loquaces currant, ut tales nuntii paucis horulis elapsis per totam urbem divulgentur.

BUFO.—Idem fuit apud nos.

MEGALOSAURUS.—Cujas es tu?

BUFO.—Mercator sum alienigena. Sed dic mihi, quaeso, quales sint Crocodilopolitan!

MEGALOSAURUS.—Incolae sunt rerum satiis inopes ac valde superbi et efflati. Neque enim quisquam, simulatque in ejus crumena inveniuntur quini denarii, per diem laborabit, sed deget luxuriosus et gulæ traditus. Omnes cives plura comedere solent quam demerent.

BUFO.—Ne pilo quidem melius apud nos. Sed qualis est rerum exitus?

NEGALOSAURUS.—Cives, simulac rem familiarem ad voluptates fruendas non jam sufficere animadverterunt, fiunt aut socii democratici aut commu-

nistae aut Moscovitae stellae istius rubrae cultores, et seditiones civiles excitant inter plebem.

BUFO.—Eadem ergo instituunt ac nostri cives.

MEGALOSAURUS.—Et cum nummos luxuriosi profuderunt neque quidquam oboli habent unde degant, laborare nolunt; nutruntur ergo publice et pascuntur otiosi, dum migrant e vita.

BUFO.—Sed uxoresne vestrae familias et imprimis liberos curant amore materno?

MEGALOSAURUS.—Saepe sunt morosae vesanae ut ursi scabiosi; saepius justo in plateas et fora evolant domo confabulandi causa neque secreta sibi commisa reticent. Accedit, quod, cum loquaces et garrulae nova capitent et elegantiam ac recentissimum quemque habitum vestis Lutetiae Parisiorum appetant, tempus terunt sermocinando et magnam pecuniam vanitate ac venustate citatae profundunt.

BUFO.—At saltem ancillas vestras laborando agiles et promptas se prae-stare confido.

MEGALOSAURUS.—Jam mira industria et sedulitate esse recensentur, ut vix per mensem in eadem familia maneat, sed se locant aliis dominis duodecies in anno.

**BUFO.** — Aequo in nostra patria. Sed qualis est ordo vester publicus? Num, ut exemplum afferam, viae urbanae quotidie erruntur et purgantur?

**MEGALOSAURUS.** — Julio quidem mense nihil est quod sit mundius quam plateae et fora nostra. Reliquis mensibus in publicum prodire aegre possumus, quin in periculo versemur, ne sordibus et illuvie haereamus. Sed hi menses undecim velociter praeterfluunt. Si effici posset ut numquam plueret, vel flumen Mississippi per Crocodilopolis vias dirigeretur, in nulla urbe inveniretur tanta munidies quanta in nostra. Nunc autem mihi erit discedendum. Vale, hostes! (*abit.*)

**BUFO.** — Ergo «*intra muros*» urbis «peccatur et extra» (1). Omnia eadem at-

que apud nos. Aedepol, nae ego persequi bello eos, qui nostris moribus sunt simillimi, existimo nefas et miseriā. Mea vero sententia est sine auctoritate. — Evidem investigavi, quales res se habeant in urbe hostium, quos obsidionem octo dierum minime sustinere posse pro certo habeo. Nosse, qua in condicione sit hostis semper manet res praecipua et primaria. Gloria vero urbis expugnatae Baroni aut Grobiano aut Arminio aut Almansori obtinget, ego ne commemorabor quidem monumento vel actibus publicis. Profecto, lamentandum est ac deplorandum semper esse ministrum ordinis inferioris, (*Prospicit*) En Baro et Grobianus veniunt cum agmine (*Exercitu circumdati; acies instruitur*).

### II 3, BUFO; BARO et GROBIANUS, milites.

**GROBIANUS.** — (*ad milites*) Cum conveniretis huc equites nobilissimi et milites fortissimi, non terras expugnatum aut opes collectum, sed virginem surreptam strenue ultum, numquam belligeratum est causis justioribus. Narragonia (2) exspectat fore ut suum quisque miles officium praestet. Exemplar omnes sumite ex memet, pugnate animo forti, observeate disciplinam militarem! Maxima gravitatis erit, ut temporum intervalla semel, bis, ter, diligentissime attendatis et omnes iisdem temporum momentis manibus sinistris embolorum pyriorum thecas pulsetis (*Pulsat, ut demonstret, suam ipsius thecam embolorum pyriorum*). Nisi hoc ipsum summa diligentia observaveritis, cetera omnia ne assis quidem faciam.

**BARO.** — Audite, viri clarissimi! Antequam urbem obsidere adgredimur, ad Mammutem transmittendum esse censeo Bufonem, qui ramum olivae dextra tenens pacem suadeat ea condicione, ut Amarantam nobis

reddat. (*Omnes adsentient et acclamat praeter Bufonem*).

**OMNES MILITES.** — Macte, Bufo, pacificator, angele pacis!

**BUFO.** — «*Audio quidem nuntium, sed deest mihi fides*» (3). Qua de causa aliquis alius ad hoc negotium conficiendum ablegetur velim; mihi erit periculo, ne excitem aut lacessem leonem. Nam perfacile fieri poterit, ut Mammut iste cum sit iracundus, me capite plecti jubeat et sine capite stare et hoc redire mihi erit ludibrio ac scurrilitati.

**BARO.** — Nihil erit periculi, mi Bufo, hac in re. Si tibi caput praecidi jussert, capita abscidemus triginta nobilissimorum omnium incolarum, qui in manus nostras inciderint.

**BUFO.** — Sane, rex! Sed quis adfirmare poterit, num unum ex his triginta capitibus conveniat cercivibus meis?

**BARO.** — Adi modo! Califa cavebit, ne violet aut frangat jus gentium.

**BUFO.** — Adibo.

**BARO.** — Copias, dum redieris, reducemus (*omnes discedunt, Bufo remanet solus*).

(1) Hor. Flaccus, Epist., II, 16. — (2) Nelson: «England expects, that every man will do his duty». — (3) Goethe, Faustus, 1.

II 4. BUFO.

**BUFO.** — Sed unde quam citissime sumam ramum olivae? (*circumspicit scaenam*) Ah, io «εὐργά»: inveni(1) Profecto, hae non sunt scopae. Aperite oculos! Olivae ramum jam conspiciens. Nihil jam revereri legatum ex-

traordinarium, quem tanto habeatis ludibrio? — Age, nunc adeo Crocodilopolim. (*pulsat ter pugno laevo et pede dextro portam, super quam inscriptum legitur: «Crocodilopolis»*).

II 5. CHALCOGRAPHUS, BUFO.

**CHALCOGRAPHUS.** — (*se proripit ex porta iratus*) Quis elephantus temporibus belli portam ausus est tam ferociter pulsare? Quid animadverto? Bufo est, socius mihi amicissimus.

**BUFO.** — (*inspicit vultum Chalcographi*) Ah, Chalcographus fidelissimus mihi sodalis. (*destram dat alter alteri*) Quanam tu venisti Crocodilopolim?

**CHALCOGRAPHUS.** — Te reminisci spero me abhinc novem annos rixa et caede quadam implicatum effugisse ex Narragonia. Postquam passim diu circumvagatus huc adveni, tandem receptus sum Abdelcaderi palatio, in quo nunc fungor munere famuli domestici.

**BUFO.** — Hui! Si hoc verum est, alter alteri est hostis. Nam ex biennio famulor Narragoniae regi, qui permultis militibus fortissimis stipatus Crocodilopolim obssessum huc advenit; cur adsit, te intellexisse confido.

**CHALCOGRAPHUS.** — Sane novi; neque vero mihi adparet, cur tantillae rei tantum tribuatris pretium; equidem tantas copias contrahi flocci non esse censeo.

**BUFO.** — Plane tibi consentio et Grobiano regi hoc idem heri ausus sum dicere sub rosa. Tu quidem et ego nihil sumus nisi famuli simplices; ast in nobis unis ex omnibus, qui in urbe sunt et extra, inesse puto mentem sanam.

**CHALCOGRAPHUS.** — Comprobo. Sed dic, Bufo, quid in mente volutes ac moliaris his scopis instructus! Num pla-

teas urbis everres ac purgabis sordibus?

**BUFO.** — Ha, ha, hae! Quantum quidem audivi, eas pulvere purgari opus erit omnino. At nutis remotis finge hanc rem esse non scopas, sed ramum olivae! Rex enim et dominus meus mihi mandavit ut cum essem legatus suus extraordinarius pacem offerrem Crocolilopolitanis hac condicione, ut redderent Amarantam virginem venustissimam.

**CHALCOGRAPHUS.** — Itane? Extemplo recedas! Minime Amaranta unquam reddetur. Neque enim Abdelcader eam secum Crocodilopolim abire aut sibi nubere blantitiis aut vi et armis coegerit; sua ipsius sponte cum eo ex urbe patria huc «abiit, excessit, evasit, erupit» (2) et, cum sit justa et matura aetate — heri iniit mira cum sollemnitate aulicorum annum tricesimum — id ad neminem alium pertinet.

**BUFO.** — Concedo, sed equites Narragoniae ad honorem regni nostri tuendum cum Crocodilopolitanis belligerandum esse contendunt.

**CHALCOGRAPHUS.** — Apage! Equites vestri censeant, quidquid eis venit in mentes! «Quidquam delirant reges, populi cruciantur». (3). Certum ac manifestum est fore ut Amaranta redeat numquam.

**BUFO.** — Hoccine scis certo? «Unde venit tibi haec scientia?» (4)

**CHALCOGRAPHUS.** — Certissime rem novi. Hunc nuntium tuis referens me utiliter poteris teste atque auctore.

VIATOR, S. V. D.

(1) Archimedes. — (2) Cicero, Or. Catil. — (3) Horatii illud: epist. II, 14. — (4) Schillerus, Virgo Aurelianensis, I, 10

## BIMILLENA RIUS HORATIANUS

(65 A. Chr — P. Chr. 1935)

Q. Horatius Flaccus Venusiae natus est sexto idus decembres, L. Cotta et L. Torquato consulibus, anno videlicet 689 ab U. C. i. e. 65 ante a. 754, a quo computatio Christiana sumit exordium. Annus ergo bis millesimus ejusdem nativitatis celebrandus adpetit; itaque humaniores populi maxime inter se contendunt ut Venusinum sollemniter recolant atque magnificent laudibus.

Revera in tertio Italorum conventu anno praeterito in Urbe celebrato ad Romanarum rerum studia provehenda, haec conclusio a collegis sancita, vim legis accepit: «*Conventus vota facit ut annus bis millesimus ab Horatio nato tota Italia in primis vero Romae et Venusiae sollemnibus feriis celebretur, et Institutum Studiis Romanarum rerum provehendis ut hoc munus suscipiat*». Ex quo fit ut primatus in sollemniis Horatianis Romano populo respondeat.

Tamen docti homines Civitatum Confoedatarum Americae nequeunt hac in re suam quoque partem non adsumere; ideo Coetum moderantem constituerunt, cuius praeses Dr. C. Flinkinger in universitate Iowa profesor; Dr. vero Rollando G. Kent Prof. in Univ. Pensilvaniae erit a secretis. Coetus a prima constitutione bimillenarium apud exterios promovere studuit, atque optimis auspiciis, ut videtur, in Gallia, Belgio, Hungaria, Anglia atque alibi, ubi consociationes plurimas adeptus est. Clmi. Marouzeau, Oltramare, Heuten, Horvath in sua quaque provincia seu natione fautores erunt fervidi ac moderatores.

At in Hispania nostra quid? — Recens ad nos pervenerunt litterae a Rollando G. Kent signatae (Pensilvania, Sep. 22 1934), quibus certiores facti sumus Coetus pro festis Horatianis constituti, qui opem nostram viresque expostulabat. Moderator PALAESTRAE LATINAЕ haec rescribenda habuit: «*Litteras tuas jam pridem accepi easque gratissimas, praeter cetera quod de summo lyrae Romanae poetarum honorando loquebatur... Quidni opellam qualemunque nostram huic negotio impendamus nos Hiberi, de quibus ille cecinit prospiciens in futurum:*

. . . . . «me peritus  
discet Hiber Rhodanique potor?» (Od. II, 20, 25)

*Apud nostram igitur actuariam excogitatus est numerus PALAESTRAE LATINAЕ extraordinarius, cui operam suam praestantes admovebunt viri» Neque haec una erit apud nos in Venusinum vatem fervoris ostentatio, sed speramus fore ut tum Societas litterarum tum Ephemerides Hispanae ultro lateque demonstrent studium et amorem erga poëtam suavissimum Q. Horatium. Hac ratione verum erit quod ipse fidibus eduxit:*

. . . . . usque ego postera  
crescam laude recens . . . (Od. III, 30, 7).

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

## CURSUS GYMNASTICUS (*sequitur*)

### In Georgica, II, 136-176. (Italiae descriptio).

An mare quod supra memorem, quodque adluit infra?  
 Anne lacus tantos? Te, Lari maxime, teque  
 Fluctibus et fremitu adsurgens, Benace, marino? 160  
 An memorem portus Lucrinoque addita claustra  
 Atque indignatum magnis stridoribus aequor,  
 Julia qua ponto longe sonat unda refuso  
 Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernus?

*Mare quod supra* (Adriaticum) · *mare quod infra* (Tyrrhenum) *Lari*: «Lago di Como» situs loco rei bellicae quam qui maxime opportuno, ubi idcirco Romani parvam classem habebant. — *Benace*: «Lago di Garda» inter Brixiam et Veronam, ex quo Mincius effusus Mantuam defertur. Mari similis est ob tempestates (*fremitu marino*).

*An memorem portus*: Vers. 161-164 describitur portus Julius (*unda Julia*) ab Octaviano exstructus, «inmissio in Lucrinum lacum mari» (Suet. Aug. 16) «Cum contra Sextum Pompejum male rem gessisset Octavianus Caesar, ut reficiendis classibus locum tutum haberet, Agrippae consilio portum Bajanum in sinu Puteolano commodiorem et tutio-

rem ita reddidit, aut verius novum portum aperuit ut lacum Lucrinum, interjecto aggere a mari seclusum, cum lacu Averno conjungeret (*Lucrinoque addita claustra*); aggerem autem modo dictum, qui quinque stadiorum erat, postquam eo perfonso aditum navibusque tutus intra eum esset receptus». (Heyne) In eo aggere frangebantur undae Tyrrhenie, qui molibus impeditus (*ponto refuso*) *indignabatur*. Juxta Wagnerium pontus refusus videtur esse mutato fluctu rursum in lacum Lucrinum irruens, atque ita sinum ac portum efficiens. Cf. Horat. (Ep. ad Pis. ver 63, 65): *Sive receptus terra Neptunus classes Aquilonibus arcet regis opus.*

Haec eadem argenti rivos aerisque metalla 165  
 Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.  
 Haec genus acre vinum, Marsos pubemque Sabellam,  
 Adsuetumque malo Ligurem Volscosque verutos  
 Extulit, haec Decios, Marios, magnosque Camillos,  
 Scipiadas duros bello, et te, maxime Caesar, 170  
 Qui nunc extremis Asiae jam victor in oris  
 Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.

*Haec eadem, Italia*. — *Ostendit*, *fluxit*: ratio cur poëta praeteritum adhibeat ex facto quod in Plinio legimus. eruitur: (*Hist. nat.* III, 20, 24): «Italia, metallorum fertilitate nullis cedit terris, sed interdictum id vetere consulto Patrum, Italiae parcit jubentium».

*Plurima*: *adjectivum pro adverbio plurimum*: significat *abunde, copiose*, in quo sensu a solis poëtis usurpatur. (Cf. Verg., *Bucol.* VII, 60; Ovid. *Met.* XI, 140; 14, 361).

*Marsos*: populos Italiae mediae, in ora orientali et meridionali lacus Fucini,

cujus caput Marbium vel Marrubium. De hujus gentis indole Cic. (in *Vatin.* 15). Plinius *Hist. nat.* 7) Sil. Ital. (VIII, 496, seq.)

*Sabella:* *Sabini:*, gens umbris et Volscis affinis, sedem habuit prope Amiternum, paulatim dominationem suam extendit ad finitimas regiones. Laudati sunt ob morum gravitatem, severamque vivendi disciplinam, bellandi pertitiam et fortitudinem. Cicero (*pro Ligario*, 11.) eos vocat «fortissimos, florem Italiae, robur reipublicae».

*Ligurem:* populus antiquissimus, cuius memeriam magnus locorum numerus servavit. Vergilius eum appellat *ad-suetum malo sc. laboribus*, propter clades quas a romanis passus est.

*Volcos:* Vetus populus Latini ignotae originis, prioribus Romae saeculis potens et bellicosus, a Tarquinio Superbo et Coriolano subactus, libertatem amissam recuperavit; Romae tandem submisus est a 338 a. Christum.

*Verutos* (Volcos): Scilicet *armatos veru*, sicut dicitur *scutatus, cinctutus,*

cet, *Decios, Marios, Camillos*: Celeberrimi duces Romani quorum notissima est historia. Decii tres fuere quibus *dulce et decorum fuit pro patria mori*. Emphatice utitur poeta pluralem pro singulari. *Scipiadas:* «omnes minores Thesei Thesidas Graeci appellant, quod solent poetae quoque nostri imitari, unde Vergilius secundum graecam formam *Scipiadas dixit*» (Priscianus, p. 582, ed. Hertz). Haec forma invenitur in Lucretio (III, 1132): *Scipiadas fulmen belli. Diros bello; ad bellum induratos.*

*Qui nunc extremis:* Cum Vergilius *Georgica* conscribere incepit, nullum bellum gesserat Octavianus; unde poeta videtur hos versus operi jam perfecto in honorem sui protectoris intexusse. Victoria de qua hic agitur est sedatio Tiridatis et Phraatis de regno Parthiae contendentium, cum Octavianus Alexandria potitus, debellatisque Antonio et Cleopatra, in Asiam hiematurus abiit. Tunc temporis, ut supra innui (Cf. *Pal. Lat.* vol. II, n. 35, p. 146) Vergilius *Georgicis* finem imposuit.

*Salve, magna Parenſ frugum, Saturnia tellus.*

*Magna virum: tibi res antiquae laudis et artis*

*Ingredior, sanctos ausus recludere fontes,*

175

*Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.*

*Salve, magna Parenſ:* Pulchra apostrophe in Italiam. *Saturnia tellus:* Italiam appellat tellurem Saturniam, quia, ut refert fabula, *Saturnus ab Olympo expulsus, in ea regione latuit, Italos agriculturam docuit* (*Varro*, III, 1) eoque regnante, aurea aetas advenit (*Verg. Bucol.* IV, 6), in cuius honorem propterea festa *Saturnalia* sunt instituta. *Res antiquae laudis et artis:* Res

laudatas et excutas ab antiquis sc. agriculturam. Ribbeck legit et *artem*. *Ingredior:* dicere *adgredior*. *Sanctos ausus..*, quia Vergilius primus Romanorum exstitit qui de agricultura versibus disseruit. *Ascraeum... carmen:* Proprium Hesiodi, in Ascra, vico Boeotiae nati, cuius poëma *Opera et dies*, primum est et antiquissimum poësis Georgicae monumentum.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

## Bibliographia

**Vergniol C. et Rat M. — Cornelius**

**Nepos,** *Oeuvres*, traduction nouvelle, Garnier Frères, Paris.

Nepos, cuius opus «de excellentibus ducibus exterarum gentium» et «de Latinis scriptoribus» magno certe est emolumento iis praesertim qui Latinis initiantur litteris ob amoenitatem narrationis, sermonis claritatem et virtuti laudes, novam nec injustam sane habet versionem a Dn.<sup>o</sup> Camillo Vergniol exarata; qui tamen versionem dumtaxat conscribere valuit. — Introductionem ac notas adpositas elaboravit eximus Professor Mauricius Rat, qui justum profert judicium de opere Nepotiano, sive illius defectus palam ostendens, sive virtutes et maxime operis claritatem et amoenitatem extollens.

**Pignarre R. — Sophocle,** *Theatre*. Traduction nouvelle. Garnier, Paris.

Inter volumina collectionis Classicorum Garnier novam habes Sophoclis versionem, eamque accuratam verborum proprietate, sermone simplici et plano. — Quibusdam praemissis de vita et operibus Sophocleis alisque cum iis connexis, proponuntur septem tragœdias *Ajax*, *Electra*, *Oedipus. Rex*, *Antigone*, *Trachiniae*, *Philoctetes*, *Oedipus Coloneus* et quae supersunt illius quae vocatur *Iyētai* (Les Limiers). Extremum occupant locum tragœdiarum adnnotationes. Versio Gallica tantum prostat sine textu Graeco. Auctor optima secutus est opera in versione confienda,

JOSEPHUS MIR, C. M. F.

**Peeters F.** *A Bibliography of Vergil:*

The service bureau for classical teachers. New-York University. Bull. 28, avril 1933; pp. 92.

Exiguum sane videtur Dris. Peeters opusculum, attamen vim ac robur in se continet plurimum voluminum, eorumque

praestantium. Auctor enim copiosissimae bibliographiae Virgilianae congeriem patienter coacervavit ac postea scientifico ordine dispositus. Hujus operis pagellas diligenter evolvi, in hisque omnia laudanda censui si praeteritiones nonnullas excipias, quibus ipse ut quadammodo completem operam dedit *Supplementum Bibliographicum* conficiendo in ephemerede *Emerita*, D. v. vulgandum.

**Stercker K.** *Introduction à l'étude du latin médiéval*, trad. par P. de Woestigne avec une préface de F. Ganshof. — Gand, 1933, pp. 76.

Virtutes hujus fasciculi hae sunt praecipuae: brevitas, integritas, opportunitas. Brevis est nam 76 paginas non excedit. Integer etiam uti adparet ex indice rerum; duodecim tantum constat capitibus notionem evolventibus linguae Latinae aeo medio, historiam, traditionem, paleographiam, prosodiam, morphologiam, syntaxin; continet praeterea seriem textuum, lexicorum, bibliothecarum ad Latinitatem medii aevi spectantium; signationibus insuper bibliographicis abundat. Opportunus est quia tunc reapse prodit cum hoc studiorum genus coli maxime coepit. Quod si hic fasciculus et brevis est et integer et opportunus, et omnino commendabilis.

**Stampini, II** *Carme secolare di Orazio*. G. Chiantore, 1927, p. 45.

In hoc opusculo lector curiosus reperiet praefariunculam de ludis saecularibus Augustis, textum Horatianum carminis saecularis et carminis «Dive, quem prolis...» cum poetica eorundem versione.

J. M. JIMENEZ, C. M. F.

**Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.**  
**Moderator**

**Thyographia F. Camps Calmet. — Tarregae**



## Exercitationes Scholares

### LA TEMPESTAD

*Tembló la tierra y al temblar el paso  
franqueó de las aguas; y los ríos  
corren por la llanura desbordados;  
meses y arbustos y rebaños y hombres  
a una arrebatan con los lares sacros.  
Y si casa quedó que arrostrar pudo  
sin derruirse a tan temible estrago,  
al fin las olas turgidas cubrieron  
su techo; en el abismo sepultados  
yacen los torreones; mar es todo;  
pero un mar sin orilla. Un altozano  
ocupa aquél, y en corva barquichuela  
siéntase el otro y boga sobre el campo  
que en los pasados días cultivara.  
Quién navega por cumbres de anegado  
pueblo, quién pesca en los excelsos olmos.  
Si el áncora se arroja, en verdes prados  
fija queda, y las curvas tablas trillan  
los viñedos que yacen por debajo.*

*Ha poco al césped iban cabras ágiles  
y allí focas deformes se acostaron.  
Admiran las Nereidas bajo el agua  
bosques augustos, urbes y palacios;  
los delfines ocupan la espesura  
y allá navega el lobo entre el rebaño.  
rojos leones lleva el oleaje;  
lleva el oleaje tigres, y son vanos  
al ciervo volador los pies ligeros,  
al jabali los impetus del rayo.  
Y el ave vagabunda que ha buscado  
tierra donde posar, pliega sus alas  
y cae entre las ondas. Los collados  
el desenfreno de la mar anega  
y nuevas olas batén los peñascos.*

Vertit ex Ovid. Met. I, 285-310.

CAROLUS MESA GÓMEZ, C. M. F.

Infórmese del  
**GRAN AHORRO**  
en el consumo de velas  
que representa el  
uso de nuestro  
**PROTEGE-LLAMA**  
Patente n.º 8571

Aparato sencillo, eterno y que se amortiza pronto. - Impide el lagrimeo (aun en corrientes de aire), reduce el consumo y evita manchas en candeleros y manteles.

Pida mas detalles a  
**CERERIA PONTIFICIA**  
Apartado de Correos n.º 1  
ANDUJAR  
(JAEN)

### Beati Ant. M. Claret Hymnus

Quattuor vocibus inaequalibus, organo comitante, concinendus. Carmen Latinum ab H. Martija compositum. — Hispanicum fecit et Catalaunicum R. Illa.— Musica a P. Thoma L. Pujadas.

2 ptæ.

Apud Administratorem  
Palæstriae Latinae

# SANATORIUM

Nostin' novos medicationis naturalis productus....?

Formulae sunt Rdi. Dris. J. García Roca.

Contra Artritismum:

**Sanatorium Depurativum.**

Contra affectiones gastricas:

**Sanatorium Eupepticum.**

Contra restrictionem ejusque causas:

**Sanatorium Purgans.**

Contra phthisim in omnibus morbi periodis:

**Sanatorium Regenerativum.**

Contra anemiam, clorosim et organicas feminarum

perturbationes: **Sanatorium Pilulae Ferrugineae.**



MARCA REGISTRADA

Veneunt in pharmacopolis et specificorum sedibus.

Cerae liturgicae auctoratae

justa decretum

Sacrae Rituum Congregationis



# FILII J. SILVESTER

ALBAIDA (Valencia) (España)